



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. LXV. An & quot sint modi, quibus à Dæmonum infestatione loca redduntur libera?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

Varios esse modos, quibus loca à Daemonum infestatione liberantur: & modorum esse varias differentias.

1. **M**odi, quibus contra Dæmones belligatur, varij sunt, sed tamen ad quinq; præcipuos redigi possunt omnes: quorum vnus in oratione consistit: alter sanctissimæ Crucis vsu nititur: tertius Rebus consecratis: quartus Reliquiis- quintus Exorcismo; cum quo coniungimus Inuocationem nominis Christi. Quod si quidam sunt alij; vel ad hos reuocatur, vel rarius sunt in vsu. vt ille, cuius in vita Simeonis Abbatis, qui salus dictus est, fit mentio, quo ex vico quodam infesto pulsus est Diabolus cantu tibiæ, teste Leontio Episcopo Neapoleos, insulæ Cypri. Ille quoque, quo ad præsentiam sanctorum hominum iidem quandoque in fugam conuersi. quemadmodum Thefi 9. cap. 27. dictum est.
2. Magna est inter hos modos, & multiplex differentia. Prima est, quòd quidam ex his sine sermone non perficiantur; quidam sine eo consistant; quidam solius mentis sint exercitia. Primi generis est Exorcismus; secundi, Res consecratæ, Crux, atque Reliquiæ: tertij, Oratio; quamuis hæc aliquando vocalis sit.
3. Hinc altera differentia accipitur. Quidam enim cooperationem hominis requirunt, quinimò, sine hominis cooperatione non consistunt; ne dicam, quod hominis sint actio. vt Oratio, Crux, atque Exorcismus. Quidam, quamuis aliquando cum cooperatione hominis coniuncti sint, non tamen illam requirunt, vt Res consecratæ atq; Reliquiæ; quas vel suspensas esse locis certis, satis est ad spiritus abigendos.
4. Rursus quidam immediatè valent ad profligandos spiritus; alij minimè. Oratio non directè ipsos spiritus petit; sed ad Deum contendit, cuius opera à spirituum infestatione petimus liberari. At Exorcismus, Crux, Reliquiæ, Res sacræ, ipsos per se impetunt spiritus.
5. Quarta differentia est, quòd quidam per se efficaces videantur: alij omnem, quam habent, efficacitatem aliunde accipiant. Huius generis sunt Res consecratæ: quæ, si consecrationem dempseris, à rebus naturalibus nihil differunt: reliqui omnes ex se ad spiritus abigendos valent.

Huic

Huic *quinta differentia proxima est*. Quidam impetratorij tantum sunt purgationis locorum; non autem per se loca purgant; alij sunt operatorij, vt ita dicam, & per se efficaces. Prioris generis Oratio est, qua à Deo & Sanctis petitur, vt vel hi à Deo obtineant, vel ille præstet libertatem. Posterioris generis sunt reliqui, qui directè ipsos aggrediuntur Spiritus. 6.

Præterea, Quidam vnum tantum vsum habent; alij plures. Exorcismus solum locis purgandis seruit, & Spiritibus proscribendis. cæteri præter hoc alios habent fines, quemadmodum aliàs demonstratum est. 7.


Item quosdam modorum necesse est adhiberi *ipsis locis*, quæ Spiritibus infesta sunt, si Spiritus profligari debeant; quidam aliis quibuscunq; possunt; & tamen ad proscribendos Spiritus valent. Oratio vt in infestis locis fiat, necesse non est. At si Crux aliis fiat; aliis adhibeantur Exorcismi; aliis suspendantur vel ponantur Reliquiæ & Res consecratæ, quam infestis; parum promoueris. 8.

Sic quosdam expedit *ijs ipsis temporibus* adhiberi, quando iam Spiritus molesti sunt: alij possunt adhiberi aliis. illis vtilissimus est Exorcismus, in quo cum Spiritibus in certamen descenditur: Crux item præsentissimum aduersus eosdem telum: his oratio, Reliquiæ, sacræ Res. 9.

Plures inter dictos modos possunt assignari differentiæ; sed pluribus opus non est. Forsitan etiam assignatæ nimia sunt. Modos igitur singulos discutiamus & probemus. 10.

CAP. LXVI.

De Oratione, qua Demoniorum Spiritus fugantur, de quæ eius, præ reliquis bonorum operum geueribus, in hoc negotio efficacitate.

 Rationem ad Spiritus Demoniorum profligandos, & loca ab ipsorum molestia & infestatione liberanda plurimum valere, e exemplis plurimis clarum est. superius, ca. 1. nos horum duo assignauimus. Primum est presbyteri, cuius B. Augustinus meminit; qui oratione atque sacrificio Missæ domum Hesperij purgauit. Alterum Sacerdotum, qui à Moguntino Præsule, cum authoritate missi, aqua lustrali atque *comprecationibus* profligârunt pestilentem in agro Bingenfi spiritum. His addimus tertium, ex vita Beati Gregorij, cuius hortatu,

D d 2

Litanijs